



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio IX. Vtrùm purus homo justus ita possit mereri de condigno perseverantiam gratiæ finalis, ut meritum illud non impediatur per subsequens peccatum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

cadat in magnum malum, quale est peccatum, non reddit donationem auxilii difficiliorem ex parte Dei, imò faciliorem, quamvis id ipsum cedit in majus bonum extrinsecum ipsius Dei, ut supra diximus; ergo nulla est ratio, cur tali actui neganda sit condignitas ad tale præmium, sive auxilium congruum; ac proinde potest justus de potentia Dei absoluta illud de condigno mereri, & cum illo perseverantiam in gratia finali.

130. Confirmatur, quia quod Deus sciat, auxilium fore efficax in hac, aut illa circumstantia, non efficit auxilium ipsam minus æquabile per meritum; siquidem scientia illa solum juvat, ut Deus perfecte agnoscat quibus, & quatenus potest benefacere; at qui si Deus per impossibile careret illa scientia, posset homo justus mereri de condigno illud auxilium *A. v. g.* quod tunc respectu Dei casu esset efficax, ut potest qui illud non agnosceret ut efficax, ut supponimus; ergo licet de facto illam scientiam habeat, bene poterit homo pro illo mereri auxilio offerre aliquid condignum, illudque de condigno mereri; tum quia illa scientia non efficit ipsam auxilium pretiosius in se; tum etiam quia ille excessus est saltem valde exiguus in ordine ad æqualitatem meriti cum illo.

131. Probatur secundò, quia quod homo justus incidat in amentiam perpetuam post susceptam gratiam, non videtur esse tam magnum beneficium Dei, ut excedat condignitatem actus supernaturalis dignificati per gratiam; siquidem hic habet condignitatem cum augmento gratiæ, & gloriæ, quod est majus beneficium, quam amentia illa perpetua; aut mors anticipata, ne malitia mutet intellectum, & sensum pervertat; sed Deus intuitu alicujus actus meritorii hominis justus potest res naturales ita disponere, ut ipse homo justus perpetuam amentiam, aut morte corripiatur antequam gratiam amittat per peccatum mortale; ergo talis justus per hujusmodi actum mereretur de condigno eam amentiam, aut mortem anticipatam; consequenterque perseverantiam in gratia.

132. Probatur tertio, quia non minoris valoris videtur esse augmentum gratiæ habitualis, quam auxilium congruum, & efficax, etiam quò tale; sed homo justus de facto meretur de condigno augmentum gratiæ per actum supernaturalem ex ipsa gratia factum; ergo sic poterit de condigno mereri perseverantiam in ipsa gratia, si nimirum Deus cum illo paciscatur dare ei loco augmenti gratiæ, donum perseverantiæ finalis in eadem gratia. Confirmatur, quia alioqui sequeretur, hominem justum neque aliquod auxilium congruum ad vitandum in aliqua occasione unum peccatum mortale, posse de condigno mereri; hoc autem est absurdum; ergo &c.

133. Oppositum tenent aliqui Recentiores, quos tacito nomine citat *P. Arriaga supra num. 19.* inter quos etiam adnumerat *P. Vass.* pro illis: Oppones: Tam magnum, imò longè majus beneficium est præservare hominem à peccato mortali, quam illum erigere jam lapsum; sed purus homo etiam de potentia absoluta non potest satisfacere de condigno pro peccato mortali, neque mereri de condigno ejus remissionem; ergo multò minus mereri de condigno præservacionem à peccato mortali; consequenterque perseverantiam in gratia. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia non semper majus beneficium requirit pro condigno pretio rem majoris valoris.

134. Patet exemplo illius, qui vendit arma militi, qui cum illis obtenturus est in bello magnam ali-

quam dignitatem; quam sine illis non esset obtenturus: & illius, qui vendit panem extremè indigenti; uterque enim emptor, condignè emet, licet pro rebus illis non det majus pretium, quam quod illa secundum se valent; siquidem res vendita non debet æstimari secundum majorem utilitatem, quam affert emptori, sed secundum valorem, quem in se habet; sicque venditor non potest ob majorem illam utilitatem emptoris plus pretii exigere, ut condignè emat. Unde licet homini sit tam bonum, imò longè melius præservari à peccato, quam ab illo redimi, & resurgere, bene poterit præservatio, & non ita redemptio cadere sub merito de condigno puri hominis.

Instabis: Non datur major ratio, cur purus homo possit de condigno mereri unum, & non alterum; sed non potest sic mereri redemptionem; ergo neque præservacionem à peccato. Respondeo negando majorem; diversa ratio est desumenda ex infinita prope differentia, quæ datur in ordine ad Deum præservantem à peccato, & illud jam commissum condonantem, ut patet ex supra dictis *num. 127.* Nam Deus præservando hominem à peccato, sibi quodam modo procurat summum bonum, nempe carentiam gravissimæ injuriæ sibi inferendæ, quæ quò gravior est, eò magis retrahitur Deus ab illius permissione, & magis, ac facilius determinatur ad concedendum auxilium congruum, ut homo illud peccatum evitet: at verò in remissione peccati jam commissi aliter se res habet; siquidem tunc sibi soli Deus quodam modo nocet, quatenus cedet juri suo, quod habebat ad exigendum satisfactionem condignam, & ad odium, ac vindictam sumendam à peccatore, quin aliquid habeat, quod ipsum invitet ad remissionem, imò potius omnia videntur urgere, nè dimittat, cum jam injuria sit ei illata, quæ vindictam, & punitionem ex se exigat, & per remissionem obtinere non possit, quod non fuerit ei illata injuria; unde quidquid sit de majori utilitate ex parte hominis, est quidem ex parte Dei magna differentia inter præservacionem à peccato committendo, & condonacionem peccati jam commissi.

Patet etiam inter homines, nam si in manu Regis esset impedire nè illum gravissimè offenderem, aut remittere injuriam jam ipsi à me illatam, sanè mihi melius esset, si ab illa inferenda me impediret, quam si illam jam illatam condonaret; & tamen nemo dicit ipsi Regi fore magis durum, imò facilius impedire, nè offenderetur, quam post offensam gravissimam sibi illatam, eam condonare, & reconciliari inimico, nullà sumptà satisfactione.

SECTIO IX.

Utrum purus homo justus ita possit mereri de condigno perseverantiam gratiæ finalis, ut meritum illud non impediatur per subsequens peccatum?

Nic difficultas coincidit cum illa: Utrum possit justus mereri de condigno auxilium congruum, ut si incidat in peccatum, ab illo resurgat per penitentiam? Et potest hujusmodi questio procedere de homine justo tam de potentia Dei ordinariâ, quam absoluta. Dixi de homine justo, quia de merito peccatoris

toris ad reparationem suæ gratiæ, sive ad primam ejus justificationem post peccatum commissum, jam supra diximus à num. 37. asseruimusque per nullum actum, sive contritionis, sive dilectionis Dei super omnia, etiam si naturâ antecedat primam ejus justificationem, posse illam de condigno mereri. An possit illam mereri de congruo? Dicemus infra d. 5. Sit igitur:

138. Difficultas 1. Utrum reparatio propria gratiæ amitendæ juxta providentiam, sive potentiam Dei ordinariam cadat sub meritum condignum hominis justî? Negative. Ita D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 7. & ibid. Caiet. Conrad. Medina. Zumel. Lorca. Montefin. Pesant. P. Valent. P. Vasq. Alvarez de Auxil. d. 59. n. 12. Alenf. 3. p. q. 61. memb. 5. art. 2. §. 2. Gabr. in 2. dist. 17. quest. unica. art. 3. dub. 3. Dionys. ibid. q. unica. art. 1. Conclus. 5. P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 27. num. 2. P. Agid. d. 8. de Merit. dub. 12. num. 189. P. Tanner. tom. 2. d. 6. q. 6. dub. 9. n. 212. P. Marat. tract. de grat. d. 15. sect. 3. P. Ripal. tom. 2. d. 95. n. 1. P. Arriag. tom. 4. d. 56. sect. 2. n. 18. P. Amicus tom. 3. d. 35. sect. 5. num. 141. & alii. Quod secundum providentiam ordinariam à perisique certum de fide proponitur.

139. Probatur primò, quia quod ex merito condigno dispensatur à Deo, non dicitur, dari gratis, & ex Misericordia; sed plura Sacræ Paginæ, Concilior. & Sanctor. Patrum testimonia prædicant, remissionem peccati, & justificationem esse Deo gratuitam, & misericordem, ut constat ex supra dictis; ergo &c. Confirmatur ex illo Ezechiel. 18. 24. ibi: Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominaciones, quas operari solet impius, nunquid vivet? Omnes justitia ejus, quas fecerat, non recordabuntur. Et cap. 33. 12. Justitia justî non liberabit eum; in quacunque die peccaverit. Et infra; Etiam si dixerit justo, quod vita vivat, & confusus in sua justitia fecerit iniquitatem, omnes justitie ejus oblivioni tradentur. Ex quibus patet, omnia opera hominis justî per subsequens peccatum emori, mortificari, & oblivioni tradi; sed non ita esset, si illius priores justitie mererentur de condigno reparationem post lapsum; tunc enim etiam post iniquitatem factam maneret apud Deum memoria remuneratrix illarum; ergo &c.

140. Probatur secundò, quia justus de facto, nullo interposito peccato, non potest mereri de condigno auxilium congruum ad perseverandum in gratia, ut supra diximus; ergo multò minus poterit sic mereri ejus reparationem interposito peccato; siquidem plus est mortuum suscitare, quam jam viventem conservare, aut ad quidpiam agendum roborare. Confirmatur, quia ratio condignitatis operum exhaustæ præmio augmenti gratiæ, & gloriæ, qua supra negavimus meritum condignum perseverantiæ finalis in gratia, æqualiter rejicit meritum condignum reparationis ejusdem gratiæ post lapsum; ergo &c.

141. Probatur tertio, quia per peccatum mortificatur condignitas meriti precedentis; sed condignitas mortificata non potest operari effectum vitæ, qualis est reparatio gratiæ post lapsum: tum, quia aliàs non esset mortificata, & impedita: tum etiam, quia virtus physica, sive motiva, sive productiva non potest neque motum, neque effectum fortiri, quando est impedita, cum ejus vires non sint ad motum, seu effectum producendum, nisi pro tempore, quo fuerint expeditæ; ergo &c.

142. Confirmatur primò, quia nullus potest esse dignus per meritum, ut sibi indigno, seu pro statu indignitatis irremunerabili, conferatur præmium;

Tom. 2.

sed reparatio post lapsum supponit subjectum indignum præmio, & in statu irremunerabili ratione peccati; ergo &c. Secundò, quia gratia justificans non solum requiritur ex parte principii condignè merentis, sed etiam subjecti recipientis præmium, & termini, seu præmii recipiendi; siquidem utrumque exigit dignitas præmii, quæ per gratiam constituitur; sed ante reparationem gratiæ, non præcedit gratia, imò peccatum; ergo &c.

143. Objicies 1. Deus videtur teneri ex justitia, etiam post lapsum, non oblivisci bonorum operum hominis justî, ut ea remuneret juxta illud ad Hebr. 6. ibi: Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis. Quibus verbis videtur Paulus indicare, merita ante peccatum habita obligare Deum ex justitia ad revocandos homines à peccato, dando illis auxilium efficax, ut resipiscant; ergo justus per opera illa, quæ fecit in gratia, meretur de condigno auxilium congruum, ut resipiscat.

144. Respondeo negando antecedens; testimonium enim D. Pauli intelligendum est conditionatè, id est, non obliviscetur Deus operis vestri, si per penitentiam resipiscatis; nam, illa positâ, reviviscunt opera in gratia elicita, & Deus gratiam illis correspondentem, & per peccatum amissam iterum restituet, ut infra dicemus. Et hoc convincitur ex eodem D. Paulo, quatenus ibi impellit, & commovet Hebræos ad penitentiam, de qua non esset sollicitus, si eam infallibiliter, vi præcedentium meritum, essent acturi.

145. Objicies 2. Opus bonum hominis justî, etiam post lapsum, manet condignè meritorium vitæ æternæ; ergo etiam auxilii congrui ad reparandam gratiam, sine qua non potest ipsam vitam æternam consequi. Respondeo opus bonum hominis justî fuisse quidem à principio condignè meritorium vitæ æternæ, ut infra dicemus; & sic mirum non est, quod ita perseveret post lapsum, licet pro tunc mortificatum; quod enim semel fuit in acceptatione divina, semper in illa est, si per hominem non stet; siquidem dona Dei sunt sine penitentia: at verò tale opus à principio nunquam facit condignè meritorium auxilii congrui ad reparationem, neque Deus illud prout sic acceptavit, sed solum in ordine ad augmentum gratiæ, in quo promerendo exhauritur tota ejus condignitas, quin aliqua maneat ad promerendum auxilium congruum ad reparationem post lapsum.

146. Additur, quod nemo potest condignè mereri præmium sibi indigno conferendum; sed id accideret, si quis mereretur auxilium efficax sibi in peccato existenti conferendum, ut à peccato resurgeret, juxta superius dicta; hoc autem non videtur in merito condigno vitæ æternæ, licet interrumpatur per peccatum; siquidem hujusmodi præmium semper est conferendum digno, nempe per penitentiam converso, & iterum per gratiam justificato; ergo &c.

147. Difficultas 2. Utrum homo justus possit, saltem de potentia Dei absolutâ, sibi mereri de condigno auxilium congruum ad reparandum sibi gratiam post lapsum? Negative sententiam tenere videntur Caiet. Medin. Zumel. & aliqui ex supra citatis num. 138. quatenus eorum fundamenta eandem vim videntur habere contra meritum condignum reparationis ex providentia ordinariâ, & absolutâ. Idem etiam tenere videntur, qui admittentes, posse hominem justum de potentia absoluta mereri de condigno alteri justo gratiam justificantem,

K k k

ficantem,

ficantem, negant tamen posse eandem de condigno mereri alteri peccatori ratione resistentiæ peccati, qui supra videri possunt d. 2. num. 791. 821. & 827.

148. Probatur primò hæc sententia, quia nullus actus sive hominis, sive Angeli habet ex se condignitatem cum præmio eis dando in statu peccati; siquidem peccatum mortale subsequens ita mortificat, & impedit omne meritum condignum, ut quandiu non condonatur, nullum jus possit peccator habere apud Deum; sed in statu peccati est impeditum, & mortificatum hujusmodi meritum; ergo est impeditum, & mortificatum illud jus; ergo nullus iustus, etiam de potentia absoluta, potest habere condignitatem, ut sibi mereatur de condigno auxilium congruum, quo post lapsum possit reparari, cum ei necessarid esset conferendum in statu peccati; ergo si Deus illud concedat, liberaliter, & non ex debito operabitur.

149. Probatur secundò, quia iustus eo ipso, quod labitur in mortale, fit indignus vitâ æternâ, & omni dono supernaturali, & fit dignus pœnâ æternâ; ergo eo ipso, quod peccat, potest ex toto rigore justitiæ puniri pœnâ æternâ, & nullo modo disponi ad vitam æternam per meritum de condigno; sed implicat posse hominem ex rigore justitiæ ita puniri, & simul disponi per auxilium congruum sibi debitum ad resurgendum, & vitam æternam promerendam: Item posse statim puniri morte æternâ, & debere conservari, ut illi detur auxilium ad respiscendum, & vivat in æternum; ergo implicat meritum condignum, ex quo post peccatum mortale obligetur Deus ad conferendum auxilium congruum ad reparationem gratiæ, & vitam æternam consequendam.

150. Confirmatur, quia iustus non potest mereri de condigno, quod si peccaverit, vivat aliquo tempore post lapsum, nam dignitas, ut statim spiritualiter moriatur, & ut supplicio æterno puniatur, est intrinseca, & necessaria peccato mortali non condonato; ergo neque poterit mereri de condigno, quod post mortem, sive mortale peccatum, ei conferatur auxilium efficax, ut iterum reviviscat per reparationem gratiæ; alioqui mereretur de condigno prorogationem vitæ, etiam temporalis, in qua solum potest ei conferri auxilium; siquidem qui meretur præmium, debet etiam mereri illud, sine quo non potest conferri.

151. Oppones I. Opus bonum factum ab homine iusto, etiam post peccatum, manet condignè meritorium vitæ æternæ; siquidem adhuc manet in acceptatione divinâ ut tale; ergo aut hoc, aut illud opus bonum potest, etiam post peccatum, manere condignè meritorium auxilii congrui ad respiscendum; siquidem magis est meritum condignum vitæ æternæ durare, & permanere cum peccato, quam meritum condignum auxilii congrui. Respondeo distinguendo antecedens: opus bonum factum ab homine iusto, etiam post peccatum, manet condignè meritorium vitæ æternæ conditionatè, id est, si decesserit in gratia finali; concedo antecedens: absolutè; nego antecedens.

152. Et hujus ratio est; quia nullum meritum hominis iusti excogitari potest, quod sit condignum præmii conferendi sibi indigno; siquidem implicat in terminis habere meritum condignum cum indignitate personæ merentis; omnis enim dignitas personæ correspondet merito illius condigno, & contra; sicque meritum illud vitæ æternæ per peccatum mortificatum, solum est conditionatum, si nimirum tempore gloriæ conferendæ, sit jam ho-

mo in gratia; tunc enim confertur digno: ac verò meritum illud condignum auxilii ad respiscendum, neque conditionatè stare potest cum peccato; siquidem cum homo in peccato sit indignus tali auxilio, si ei daretur, tribueretur indigno; dari autem indigno, tanquam præmium condignum, implicat; esset enim, & non esset indignus tali præmio: esset, quia supponeretur in peccato; homo autem in peccato est indignus omni dono supernaturali: non esset, quia tale donum mereretur de condigno, ut supponunt; ergo si detur, dabitur quidem gratis, & liberaliter, non autem ex merito, & ex justitia.

Confirmatur, quia meritum condignum hominis iusti per peccatum mortale impeditum, & mortificatum, non reviviscit, nisi homine iterum dignificato per gratiam; atqui hoc dependet à primo auxilio jam collato; hoc autem non potest conferri ex vi meriti, cum hoc sit mortificatum, & impeditum, quando illud confertur; meritum verò impeditum, & mortificatum non potest mereri, ut tollatur impedimentum, & vita restituatur; ergo solâ Misericordiâ, & liberalitate Divinâ accidit, quando accidit.

Oppones 2. Auxilium dandum homini peccatori, ut respiscat, non est majoris valoris, quam opus supernaturale hominis iusti, quo mereri potest de condigno augmentum gratiæ; sed homo potest cum Deo pacisci, in loco augmenti gratiæ statim retribuendi, det sibi in præmium auxilium congruum, ut à peccato respiscat, quando in illud ceciderit; ergo sicut per tale opus meretur de condigno augmentum gratiæ, ita poterit mereri illud auxilium.

Probatur Major, quæ sola indiget probatione, quia illud auxilium idè esset majoris valoris, quia si homo postea peccet, retribuetur indigno; sed hoc non obstat; siquidem licet mereri indigno remissionem peccati mortalis, & illum reducere in amicitiam Dei, sit supra omne opus bonum supernaturale puræ creaturæ, illi tamen mereri aliquid longe minus, quale est auxilium congruum, non est tanti valoris, ut excedat vires, & valorem meriti antecedentis, quo pura creatura poterat de condigno mereri augmentum gratiæ; ergo tale auxilium ex pacto inito poterit esse præmium condignum illius operis antecedenter meritorii.

Respondeo negando majorem; nam tempore, quo dandum est auxilium, nullum est meritum, cum sit impeditum, & mortificatum, & prout sic perinde est, ac si non extiterit, nullumque valorem habuerit; cum autem nullum jus expeditum reliquerit in peccatore, quod potuerit Deum obligare ad dandum tale auxilium tanquam præmium condignum, sed daretur homini simpliciter indigno, semper tale præmium esset supra valorem hominis indigni; est enim contra rationem essentialem præmii condigni, quod detur homini actu indigno; esset enim, & non esset indignus, ut diximus; ac proindè, si detur, dabitur quidem tanquam donum gratuitum, & liberale; non verò tanquam præmium debitum merito condigno.

Advertes tamen ad intelligentiam argumenti, & probationis illius, me non negare, actum bonum factum ab homine iusto secundum se, & absolutè esse majoris valoris, quam auxilium congruum, & efficax ad respiscendum; siquidem, ut probat argumentum, magis valet augmentum gratiæ, quod homo iustus potest de condigno mereri per talè actum, quam illud auxilium; hæc enim de causâ supra diximus, posse hominem iustum de potentia Dei

Dei absolutam mereri de condigno primum auxilium alteri existenti in peccato: addimus tamen, debere concipi meritum ut existens respectu talis pramii, qualiter consideratur opus hominis iusti respectu alterius, etiam peccatoris, & non ita consideratur ut existens respectu sui iam peccatoris, imò est sepultum, mortificatum, & impeditum, quod prout sic est, ac si non esset; ac proinde collatio pramii, nempe auxilii ad respiciendum, non erit ex merito, sed tota gratuita, & liberalis.

158. Oppones 3. Licet homo per peccatum mortale mereatur statim puniri, & omni bono privari, Deus tamen non tenetur illi statim infligere omnem pœnam peccato debitam; siquidem hoc debitum est tantum connaturalitatis, contra quod potest Deus operari, & de facto operatur, quatenus peccatores non occidit statim, ac peccant; ergoposito favore divino de non infligenda statim pœnâ illâ, poterit habere locum prædictum pactum de dando homini auxilio ad respiciendum ex illius merito de condigno. Confirmatur, quia licet peccatum Adami mereretur, ne illi, & nobis daretur Redemptor, Deus tamen egit contra hoc debitum, & ex sua benignitate nobis decrevit Christum Redemptorem, qui hic illius favor impedit condignitatem meritorum Christi, ergo idem dicendum erit in nostro casu.

159. Respondeo concessio antecedente, negando consequentiam: nam adhucposito eo favore dandi vitam liberaliter homini peccatori, hic non admittit actualem, sive habitualem indignitatem ex peccato contractam; ergo adhuc tunc dabitur tale auxilium ut pramium condignum homini indigno, quod implicat. Non quidem negamus, Deum non teneri stare exigentiæ peccati, & hominis peccatoris, possedque operari contra illius connaturalem exigentiâ; dicimus tamen, quidquid fecerit contra huiusmodi exigentiâ, facturum gratis, non autem ex debito alicujus meriti; ergo similiter, posito quocunq; actu sive naturali, sive supernaturali, sive bono, sive indifferente hominis peccatoris, poterit Deus ei gratiam, sive auxilium congruum conferre, non ex debito meriti condigni tanquam pramium, sed tanquam donum gratuitum, & liberale.

160. Ad confirmationem est facilis solutio ex dictis, nam posito liberaliter extra causas Redemptore, existit realiter ejus meritum condignum, cui debentur de condigno omnia pramia tali merito possibilia: at verò posito liberaliter quocunq; favore à Deo homini concessio, aut talis homo est in peccato, aut non: Si primum, est indignus, & incapax auxilii congrui, & alterius doni supernaturalis ut pramii condigni: Si secundum, jam illi non datur auxilium, ut respiscat.

161. Oppones 4. Peccator de facto eliciens actus supernaturales, habet aliquale jus congruitatis ad auxilium efficax, ut coneratur, & contritione elicita, ad justificationem cum indignitate ad ipsam justificationem, & vitam æternam; ergo cum eadem indignitate, saltem de potentia absoluta, poterit stare jus condignitatis ad idem auxilium efficax, ut respiscat. Resp. dato antecedente, de quo infra, negando consequentiam; diversa ratio est, quia indignitas peccati mortalis solum excludit condignitatem, non verò congruitatem meriti; siquidem Deus quando dat aliquid ex congruentiâ, & decentiâ, non respicit personæ conditionem, sed actionis sanctitatem, ideoque simpliciter est donum illius gratuitum, & liberale, diciturque à D. Aug. *Gratia pro gratia*: at verò pramium condignum, cum sit debitum ex iustitia, & jure rigoroso residente

Tom. 2.

in persona merente, ac fundato in actione meritoria, si hæc est mortificata, & impedita, etiam ipsum jus in illa fundatum mortificatur, & impeditur, ita ut tali actioni nihil debeatur ex iustitia, sive de condigno.

162. Oppones 5. Justus de potentia Dei absoluta potest mereri de condigno alteri existenti in peccato auxilium efficax, ut respiscat; ergo etiam sic poterit sibi mereri. Respondeo concessio antecedente, de quo jam supra, negando consequentiam; diversa ratio est, quia meritum iusti operantis non mortificatur, neque impeditur per peccatum alterius; impeditur tamen, & mortificatur per peccatum proprium; ideoque non potest sibi, licet possit alteri, de condigno mereri tale auxilium. Præsertim quia jus ad tale pramium residet, non in altero peccatore, cui meretur, sed in homine iusto, qui operatur; sic enim Christus Dominus de condigno, & ex iustitia meretur nobis omnia auxilia, etiâ prima, licet in nobis nullum detur jus, aut condignitas ad illa.

163. Instabis: Peccator meretur, ne Deus ullum alium exaudiat pro ipso orantem, aut illius merita pro ipso acceptet; ergo etiam meritum iusti impeditur peccato alieno; & tamen Deus potest liberaliter non punire alterius peccatum hac pœnâ, sed velle pro ipso orantem exaudire, quo favore posito, potest justus ei de condigno mereri auxilium, ut respiscat; ergo etiam licet peccatum proprium mereatur oblivionem præcedentis meriti hominis iusti, poterit tamen Deus liberaliter nolle punire ejus peccatum tali pœnâ oblivionis, sed acceptare opus bonum præcedens peccatum, & factum in gratia, tanquam meritum condignum pro auxilio congruo conferendo in statu peccati, ut ab illo respiscat.

164. Respondeo negando ultimam consequentiam; diversa ratio est, quia licet pura creatura suo opere bono, etiam ex gratia elicitio, non possit Deo offerre valorem in genere boni æqualem toti peccato, potest tamen Deo offerre aliquid æquivalens, & superabundans valori alicujus pœnæ peccato debite, qualis est, ne Deus exaudiat iustum pro peccatore orantem, & illius merita pro ipso acceptet; cum autem Deus liberaliter voluerit exaudire, & acceptare pro peccatore meritum alterius iusti, & hoc in ipso iusto existat, sitque æquivalens pramio unius auxilii conferendi peccatori, ut respiscat, inde est, quod illud impedimentum peccati alterius non est tale, ut non possit vinci à merito hominis iusti, si Deus illud liberaliter acceptet, & iustus pro peccatore applicet: at verò in nostro casu aliter se res habet, ut patet ex dictis; siquidem meritum respectu ejusdem personæ, cum sit sepultum, & mortificatum, perinde est, ac si non extitisset, sicque nullum dat jus peccatori, ut ex vi illius, sive de condigno ei conferatur auxilium, ut respiscat.

165. Urgebis: Deus potest ex sua liberalitate dicere peccatori: *Nolo te privare tuo merito condigno*: siquidem non tenetur Deus infligere omnem pœnam debitam peccato; sed tunc perseverabit meritum condignum, etiam post peccatum; ergo ex vi illius dabitur peccatori auxilium congruum, ut respiscat. Respondeo, Deum non posse hominem constituere merentem de condigno, quin illum restituat ad suam gratiam, & amicitiam; siquidem voluntate suâ extrinsecâ non potest efficere meritum condignum sine condignitate, seu prædicatis essentialibus, aut saltem logicis ipsius meriti; meritum autem condignum, ut sit tale, requirit essentialiter, aut saltem logicè gratiam dignificantem personam

K k k 2

personam

personam, eamque facientem gratam, justam, & Deo amicam; si verò jam talis sit, non ei datur auxilium, ut resurgat. Confirmatur, quia casu, quo Deus privet hominem justum absque sua culpa gratiâ dignificante, nullus illius actus erit condignè meritorius doni supernaturalis; cujus tamen antea condignus erat; ergo nisi Deus hominem illum restituat in suam gratiam, & amicitiam, non ei restituet suum meritum condignum.

166. Oppones 6. Rex potest promittere famulo præmium eâ lege, ut nullo crimine illud perdat; ergo etiam Deus poterit justo promittere ob meritum de se sufficiens, dare ei auxilium efficax, ut respiscat, si fortè incidat in peccatum, itaut per peccatum non amittat jus acquisitum ad tale auxilium. Respondeo negando antecedens; talis enim promissio, si defacto fiat à Rege, erit nulla; siquidem potest dari crimen, quo posito, famulus amittat quodcumque jus acquisierat ex tali promissione. Undè si Rex, posito tali crimine, adhuc concedat famulo præmium, censebitur concedere illud tanquam donum gratuitum, & non tanquam præmium debitum ex merito; hoc autem à fortiori dicendum de homine mortaliter peccante; quodcumque enim peccatum mortale reddit illum dignum omni supplicio, & indignum omni præmio: undè si Deus aliquid tribuat, gratis tribuet, & non ex merito antecedente, quod amisit, & cum illo omne jus ad ipsum præmium: si igitur in peccatore nullum datur jus, neq; etiam ex parte Dei datur debitum, cum jus in creditore, & obligatio in debitore sint correlativa.

167. Ex hac sententia colligitur primò, non solum auxilium efficax, sed nullum aliud præmium supernaturale, posse cadere sub meritum condignum mortificatum, & impeditum per subsequens peccatum. Undè licet gratia sit compatibilis cum peccato, cum sit donum supernaturale, non potest cadere sub tale meritum. Secundò, non posse à fortiori hominem justum mereri de condigno, ut, si peccaverit, decedat tandem in gratia finali. Hæc sententia, ut ex hæctenus dictis apparet, est valde probabilis: sit tamen:

SECTIO X.

Propositur, & firmatur sententia tenenda.

168. **N**IHILO MINUS probabilior mihi videtur sententia affirmans, posse hominem justum de potentia Dei absoluta sibi mereri de condigno auxilium congruum, ut si incidat in peccatum mortale, ab illo resurgat per penitentiam. Ita P. Arriaga tom. 4. d. 56. sect. 4. P. Ripal. tom. 2. d. 95. sect. 2. num. 14. & affirmare tenentur, qui concedunt, posse hominem justum de potentia Dei absoluta mereri de condigno alteri existenti in peccato gratiam sanctificantem; siquidem eadem est ratio, ut sibi etiam peccatori possit justus eandem gratiam de condigno mereri; posse autem justum alteri existenti in peccato mereri de condigno gratiam sanctificantem, etiam cum remissione peccati concedunt P. Soar cum D. Thom. Medin. Zumel. P. Valent. P. Granad. P. Wading. Sot. P. Egid. P. Less. P. Tanner. Scot. Ocham. Major. & alii, quos supra citavimus d. 2. n. 821. & 827.

169. Probatur primò, quia actus bonus supernaturalis dignificatus à gratia habet condignitatem cum

tali auxilio casu, quo non detur ei in præmium augmentum gratiæ, aut aliquid aliud, ut supra diximus; sed homo eliciens talem actum potest cum Deo ita pacisci: *Domine ego ratione istius actus habeo jus, ut statim de condigno des mihi quatuor gradus gratiæ, loco tamen illorum vellem; ut mihi des in fine vite, si peccem, auxilium efficax ad contritionem, vel amorem tui supernaturalem;* ergo si Deus annuat tali voluntati, ut potest, jam eo ipso merebitur homo de condigno tale auxilium: tum quia actus ille ex se habet condignitatem cum illo: tum etiam quia voluntas Dei, cum sit absoluta, non revocabitur per subsequens peccatum illius hominis.

Probatur secundò, quia peccatum subsequens non potest tollere condignitatem ab actu presente; sed actus ante peccatum erat condignè meritorius illius auxiliii; ergo ita erit & postea. Confirmatur, quia non repugnat, quod Deus statim post actum elicitum ab homine justo, voluntate absoluta ei promittat illud auxilium; sed datà eâ promissione, cum fiat per absolutam, & efficacem Dei voluntatem, non poterit postea ejus effectus impediri per peccatum; alioqui frustraretur voluntas Dei efficax; ergo &c.

Probatur tertio, quia licet peccatum subsequens faciat, quod illud auxilium sit longè majus donum, hic tamen excessus non illum elevat supra condignitatem actus meritorii, quem homo justus eliciens pro illo offert; alioqui per talem actum non posset homo justus mereri de condigno alteri peccatori hujusmodi auxilium; prout supra diximus; ergo à fortiori sibi poterit illud de condigno mereri. Confirmatur, quia homo justus talem actum eliciens, esset in gratia, & quando eum elicit, & quando post se offert, solumque esset in peccato, quando postea præmium acciperet; alius verò pro quo talem actum offerret, esset in peccato, & quando actus eliceretur, & quando pro illo offerretur, & quando præmium acciperet; & tamen potest homo justus per talem actum ei peccatori mereri de condigno tale præmium, sive auxilium congruum, ut respiscat; ergo à fortiori poterit illud sibi de condigno mereri.

Probatur quarto, quia Deus ante omne meritum statuit dare auxilium sufficiens homini peccatori ad penitentiam faciendam; ergo propter opus bonum elicitum ab homine justo, & gratiâ dignificato, poterit decernere dare ei auxilium efficax, si peccaverit, ut per penitentiam resurgat; siquidem hoc potest esse idem in entitate cum illo, solumque differre in effectu habendo, quæ differentia tota defumitur à libertate, & consensu hominis operantis.

Probatur quinto, quia peccator eliciens contritionem perfectam charitatis, potest divinitus sibi de condigno mereri remissionem presentaneam peccati, ut tenet cum Richard. P. Vafq. P. Turman. & P. Merat. P. Ripal. tom. 2. d. 88. num. 3. & d. 95. num. 14. ergo etiam sic poterit justus mereri remissionem peccati futuram. Probatur consequentia; quia meritum elicitum in statu gratiæ non est minoris, sed majoris condignitatis, quam actus contritionis elicitus à peccatore; siquidem ultra condignitatem actus complectitur dignitatem gratiæ habitualis, quam non complectitur solus contritionis actus: deinde remissio peccati futura non est præmium majoris pretii, quam remissio presentaneæ; ergo &c.

Argues 1. Deus non potest habere voluntatem omninò absolutam dandi tali homini illud auxilium efficax finale, sed debet expectare quoad usque